

Requiescet super illam pax vestra.

✠ Lécctio sancti Evangélii
secúndum Lucam

10, 1-12. 17-20

In illo témpore:

- ¹ **D**esignávit Dóminus álios septuagínta duos
et misit illos binos ante fáciem suam
in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus.
- ² Et dicébat illis:
«Messis quidem multa,
operárii autem pauci;
rogáte ergo Dóminum messis,
ut mittat operários in messem suam.
- ³ Ite;
ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.
- ⁴ Nolíte portáre sácculum,
neque peram neque calceaménta,
et néminem per viam salutavéritis.
- ⁵ In quamcúmque domum intravéritis,
primum dícite: “Pax huic dómui”.
- ⁶ Et si ibi fúerit fílius pacis,
requiescet super illam pax vestra;
sin autem ad vos revertétur.
- ⁷ In eádem autem domo manéte
edéntes et bibéntes, quæ apud illos sunt:
dignus enim est operárius mercéde sua.
Nolíte transíre de domo in domum.
- ⁸ Et in quamcúmque civitátem intravéritis,
et suscéperint vos,
manducáte, quæ apponúntur vobis,
- ⁹ et curáte infirmos, qui in illa sunt,
et dícite illis:
“Appropinquávit in vos regnum Dei”.

- ¹⁰ In quamcúmque civitátem intravéritis,
et non recéperint vos,
exeúntes in platéas eius dícite:
- ¹¹ “Etiam púlverem,
qui adhæsit nobis ad pedes de civitáte vestra,
extérgimus in vos;
tamen hoc scitóte
quia appropinquávit regnum Dei”.
- ¹² Dico vobis quia Sódomis in die illa remíssius erit
quam illi civitáti».

[13-16]

- ¹⁷ Revérsi sunt autem septuagínta duo cum gáudio
dicéntes:
«Dómine, étiam dæmónia subiciúntur nobis
in nómine tuo!».
- ¹⁸ Et ait illis:
«Vidébam Sátanam sicut fulgur de cælo cadéntem.
- ¹⁹ Ecce dedi vobis potestástem calcáandi
supra serpéntes et scorpíones
et supra omnem virtútem inimíci;
et nihil vobis nocébit.
- ²⁰ Verúmtamen in hoc nolíte gaudére
quia spíritus vobis subiciúntur;
gaudéte autem
quod nómina vestra scripta sunt in cælis».

Verbum Dómini.